

2322.

1321 eller 1322.*).

Kaniken NILS SIGVASTSSON från Upsala lemnar Påfven redogörelse för insamlandet af peterspenningen i Sverige och Danmark, heliga landshjelpen och andra uppbörder; klagar öfver riksstyrelsens beskaffenhet och adelns förfarande; föreslår 1) uppmaning till korståg mot Sveriges och trons fiender Ryssarne, 2) förnyandet af Alexander III:s stadga om peterspenningen, 3) aflat för botgörare, som på vissa dagar besöka Linköpings och Skara domkyrkor, 4) vissa rättigheter för påfliga Legaterna, hvarigenom de inom Sverige kunna vinna större tillgifvenhet och framgång; samt anhåller vidare å Ärkebiskopens i Upsala och till en del äfven å hans Lydbiskopars vägnar om: 1) rättighet för Ärkebiskopen att på flera dagar, än hittills varit tillåtet, bära pallium; 2) aflat för dem som på vissa dagar besöka Upsala domkyrka eller understödja dess kostbara byggnad; 3) rättighet för Kaniker att, i anseende till landets vidd och glesa befolkning, på resor medföra och begagna portativa altaren; 4) tillåtelse att låta visitationer förrättas genom tjenliga ombud, till undvikande af Ridderskapets gästningar, hvaremot en årlig afgift skulle af församlingarne erläggas; 5) stadfästelse af K. Magnus I:s och Birgers privilegier för kyrkan och rörande fattigtionden, med skärpta föreskrifter att hindra adelns ingrepp; 6) förnyandet af Påfven Alexander III:s privilegier för Ärkebiskopen och Biskoparne i afseende på absolutions meddelande, jemte vissa tillägg; 7) dispens för Predikarebröderna under resor från vissa ordensreglor; 8) tillsättandet af en särskild penitentiarius för Danmark, Sverige och Norge, på grund af språkets skiljaktighet från andra länders, m. m. Fredenheims afskr. ur påfl. Arch. i Rom 2: p. 297. **)

Significat Sanctitati Vestre in primis NICOLAUS SIGVASTI dudum Collector denarii Sancti Petri, et fructuum primi anni in Regno Svvetie, quod denarius Sancti Petri, qui alias census Romanus in illis partibus appellatur, prout haberi potuit, et in quanto numero ipsum integraliter attulit, et vestre Camere assignavit, sed quia duo sunt ibidem Episcopatus, videlicet Stregenensis et Arosiensis, de quibus non potuit habere nisi dimidium denarium usua-

*) Att detta, för kändedomen om Sveriges inre förhållanden i politiskt och kyrkligt afseende, högst viktiga dokument blifvit uppsatt i början af Konung Magnus Erikssons regering, kan slutas af hvad som säges om Konungen — "att han är ett barn" och "dudum electus" — samt om Herrarnes styrelse och förhållande till de andliga. Då likväl Hertiginnorna vid samma tillfälle icke omnämnas, tyckes man häraf kunna sluta, att skriften icke daterar sig från de 2:ne första åren efter konunga-valet, under hvilka Konungens moder ägde ett mäktigt inflytande på regeringsärendena. Författaren nämner sig "dudum Collector denarii sancti Petri." Således har han förmodligen skrivit detta efter den 20 Jan. 1321, då hans sista lefverans af den i Sverige insamlade peterspenningen, så vidt genom dokumenter kan styrkas, ingick till påfliga skattkammaren (Se N. 2277). Författaren anmäler att peterspenningen, som under de senaste 5 åren blifvit samlad i Sverige, ännu resterar, samt föreslår att en påflig Legat måtte sändas till detta rike. Utan tvifvel var detta förslag anledning till Påfvens år 1322 d. 31 Mars utfärdade fullmakt för dess Legat, Ärkedjeken Bernard de Monte Valrano att uppbära peterspenningen, så väl för den förflutna tiden, der den icke blifvit erlagd, som ock för framtiden, tills vidare. På grund häraf inforrdar nämnde Legat d. 21 Aug. 1322 den obetalda peterspenningen jemte bestämda uppgifter på dess belopp för hvarje år, inom hela Sveriges rike. Vid slutet af året förekomma ock flera dylika redovisningar, upptagande rester, på några ställen, för de senast förflutna 5 åren. Här af synes man kunna draga den slutsats, att Kaniken Nils Sigvastssons skrifvelse blifvit uppsatt efter den 20 Jan. 1321 men före den 31 Mars 1322. — Af ordalagen tyckes man kunna antaga, att skriften blifvit författad utanför Sveriges område, sannolikt vid eller i närheten af påfliga residenset.

***) Ur en handskrift på pergament, utan början, i hemliga arkivet i Vaticanen.

lem Episcopis pretendentibus, quod ipsorum Ecclesie plus exsolvere non consueverant ab antiquo, nec Archiepiscopus et nos Capitulum per legitimas probaciones ipsos poteramus ad maiora compellere, Recepimus quod habere potuimus illa vice, sub hac videlicet condicione et protestacione premissis, quod si vos de tali medietate contentamini contentamur et nos, sin autem; nec nos. Sed quoniam in tali exsolucione fraudem reputamus factam legi, et sedem apostolicam lesam in tanto, quod esse non debet, presertim cum tantum levent, a Laicis illarum Dyocesum [ϰ:-ium], quantum alii qui integrum denarium exhibent. Rogamus quod vel ipsos pro quittis teneatis pro taliter assignatis, vel mandetis eosdem coherceri usque ad satisfactionem condignam de sic iniuste retentis et negatis, potissime quia licet tam pauca summa modicum quid supplementum conferat apostolico erario, dissimulandum tamen non estimo, si ei vel in modico derogetur, et quia simile inveni in Dacia, scilicet quod a rusticis solvitur, et per presbiteros parochiales colligitur, collectusque defertur ad Ecclesias Cathedralis, licet quidam eum negent Ecclesie Romane deberi, et ipsum ad usus alios transtulerunt, pro eo, quod a longo tempore per Romanam Ecclesiam non est petitus, non possum transire sub silencio, quin quod inveni vestre insinuem Sanctitati, et scio quod in Lundensi et Roskildensi Dyocesibus solvuntur tres obuli, quorum unum levant Fratres Hospitalis Sancti Joannis, et duo prout audivi pro vero, a veridicis, Ecclesie Romane debentur, et similiter nobiscum fratres predicti partem levant, consueverunt enim illa tria Regna in talibus ad similia iudicari.

Noverit insuper Sanctitas vestra quod remanet adhuc in eodem Regno denarius Beati Petri collectus de quinque annis proxime preteritis.

Item noverit Sanctitas Vestra, quod decime terre Sancte indicte in Concilio Viennensi per felicis recordacionis Clementem Papam Predecessorem vestrum collecte sunt, et servantur in moneta usuali, quia aliquod de hiis adhuc mandatum non venerat nec possunt subito utiliter commutari, quia caristia auri et argenti est ibi, sed modo precipue propter guerrarum commociones omnia devastantes, que ibi sevierant multis annis, nec adhuc pro dolor sunt sedate, imo ab intus periculosius excitate, et ideo de ipsarum commutatione et deportacione maior difficultas ingeritur precipue quia Rex terre puer est, et principes communiter dominantur, incedentes singuli in multitudine nimis gravi, et ex hoc plurimum vacillat Regni gubernaculum, nec Prelati aliquam ibidem iurisdictionem obtinent temporalem, et multi nobiles sunt egentes, ac propter guerras ad insidiandum et rapiendum expositi iugiter et parati, presertim quia pluries prelatos et Capitula molestaverant petentes de hiis mutuuum sibi fieri, et hoc eis exstiterit denegatum. Quare ad extraendum huiusmodi ad presens illa videtur via commodior, ut quibusdam videli-

cet tribus prelatiſ, Archiepiſcopo, et duobus eius ſuffraganeis Lincopenſi ſcilicet et Skareniſi Epicoſiſ, ac aliquibus valentibus, et fidedignis perſoniſ ecclieſiaſticis, que amicorum maiorum aſſiſtencia [o: -am] habeant, et mercatorum noticiam diciorum tam intra, quam extra Regnum, huiuſmodi commutacio et deportacio ſecreciori modo quo fieri poterit demandetur. Hec idcirco dixi, quia didici quod velletis de hiis integraliter informari.

Ad hec ſignificat, quod fructus primi anni beneficiorum vacancium pro veſtra Camera ſunt collecti in moneta terre, et ut verius intellexi ſicut ordinaveram et mandaveram pro parte maiori licet non in toto in res utiles commutati, ibique mandatum veſtrum expectant (!), de quorum deportacione nichil mihi occurrit utilius, quam quod de Decimis eſt predictum.

Item quia Incole Regni Svvetie frequenter invaduntur, et atrociter occiduntur a circumſedentibus ipſos Ruteniſ, Scismaticiſ et Paganis, magni foret meriti, ſi eos veſtra Beatitudo miſericorditer reſpiceret, et contra hoſtes fidei, armis, et donis ſpiritualibus premuniret, indulgenciis videlicet et remiſſionibus peccatorum tanquam premiis illectivis animando et hortando eoſdem, quod guerris, oppreſſionibus, et bellis intetiſtis ſopitiſ et ſedatiſ, vires probitatum ſuarum more progenitorum ſuorum, quorum multi ab olim in illiſ partibus pro fide diverſiſ et atrocibus ſuppliciis obierunt feliciter, ut ſperatur, exerceant unanimiter et viriliter contra ipſos, Placeat igitur Sanctitati Veſtre ipſos conſolabiliter inducere exhortacione ſalubri ad hoc ipſum, more felicis recordacionis Alexandri III Predeceſſoriſ veſtri, qui ſe ibi contra huiſmodo [o: -di] invaſoreſ pro fidei et Regni deſenſione exponentibus conceſſit eandem indulgenciam, quam conſequi potuiſſent, ſi ultra mare in Sancte Terre ſubſidium tranſiviſſent. Ex premiſſiſ ut arbitror habetur occaſio ſcribendi Regni Gubernatoriſ, Clericiſ, et Laiciſ, qui nunc regnant.

Item in Regno Svvecie nulla ſunt annalia, nec beneficia vacancia per conſtitucionem EXECRABILIS.

Ad hec ſcribendum videtur dominiſ Archiepiſcopo Vpſaleniſ Lincopenſi et Skareniſi Epicoſiſ, ad quos in preſenciarum maior habetur reſpectus, quod quoniam ad voſ ſpectat ſtatui Regni illiuſ, ut nunc magis pacifico, paterna ſollicitudine providere, preſertim quia mox ut Rex, et Incole Regni eiſdem colla ſua iugo fidei ſubmiſerunt, ſe ipſos conſtituerunt Sedis Apoſtolice Cenſuales, cenſum qui dicitur denarius Beati Petri de foco quolibet anniſ ſinguliſ, exolvendo (!), ſicut hoc claret per litteras Alexandri III Predeceſſoriſ veſtri, ipſi veſtra auctoritate de omnibus que ſtatum Regni [o: Regiſ] dudum electi, et Regni ſui, ac Rempubliſcam tangunt quomodolibet ſe continue et efficaciter intromittant, ita quod iura ipſiuſ Reipubliſce in ſpiritualibus et temporalibus non ledantur. Sperat enim quod ad acquirendum dominium Regni

illius pro Romana Ecclesia ista erit via oportuna magis modo, quam unquam prius, ob hanc causam adduxit littere Alexandri III. transcriptum, quod hic assuitur, quam dignemini sub vestro nomine renovare, sicut supplicat Archiepiscopus supradictus.

Ad hec supplicat N. [5: Nicolaus Sigvasti] quatenus omnibus causa devocionis accedentibus ad predictam Ecclesiam Lincopensem in quatuor festivitibus Beate Marie precipuis, ac Cene Dominice, nec non Beatorum Apostolorum Petri et Pauli Patronorum eiusdem, ac die dedicacionis eiusdem et infra Octavam festivitatum earundem unius anni, et XL dierum indulgenciam concedatis.

Item supplicat quatenus consimilem gratiam concedere velitis omnibus cum devocione accedentibus ad Ecclesiam Skarensensem diebus supradictis, et infra eorum Octavas, que quidem Ecclesia est beate Marie vocabulo insignita. Moveat ad hec, et alia graciosam vestram Sanctitatem, quod Canonici Skarensis Ecclesie predicte, cum dudum ex mandato . . Archiepiscopi et Capituli Vpsalensis denarium Sancti Petri ad Vpsalensem Ecclesiam deferrent assignandum eisdem, fuerunt statim ante quam duas Leucas peregissent summa totali quam ferebant, et rebus aliis ac equis in itinere spoliati, quos nichilominus parcat Deus, induxi, vel verius coegi ego Nicolaus, quod summam eandem per se, et Clerum, ac Ecclesiam dicte Diocesis in integrum resarcirent, quod et ipsi sicut comune (!) obediencie filii devote fecerunt.

Ad hec Pater Sanctissime ut Nuncii per Beatitudinem vestram in posterum mittendi ad supradictas partes pro negociis dicte Sedis reddantur omnibus graciosi, et ut eadem negocia feliciter prosperentur, ad concedendum ipsis gratias infrascriptas dignemini vestre munificencie dexteram benignius aperire.

Videlicet, ut iidem Nuncii in Sacerdocio constituti audire valeant confessiones personarum illarum parcium, ad quas mittentur, et per quas transitum fecerint, eundo, morando et redeundo, et eis illam remissionem impendere, quam ipse persone consequerentur a penitentiariis vestris saltem inferioribus, ad Sedem Apostolicam personaliter venientes, et nichilominus personas easdem a quibuscumque sentenciis excommunicacionis absolvere, et cum eis si Clerici fuerint super irregularitatibus dispensare.

Item quod ubi eos continget Missarum solennia celebrare, vel proponere verbum Dei, possint aliquam indulgenciam celebracioni, vel propositioni huiusmodi presentibus graciosè concedere, de qua vestre Sanctitatis clemencia dixerit ordinandum.

Item ut nobiles et potentibus quorum auxilio et favore contra persecucionem negociorum huiusmodi indigere noscuntur, graciosos se reddere valeant et acceptos, faciendi, recipiendi singulas personas, videlicet predicto-

rum nobilium et potentum filios Clericos in singulis Ecclesiis, Cathedralibus dumtaxat exceptis in canonicos et in fratres, ipsisque de prebendis singulis providere, Puellas vero litteratas singulas in singulis Monasteriis ad certum numerum in Monachas et Sorores ipsisque Monachalem habitum exhiberi, et contra prefatis Nunciis concedere dignemini facultatem cum omnibus clausulis oportunis.

Item quod beneficia ecclesiastica eciam si dignitates, personatus, vel officia cum cura, vel sine cura fuerint, virtute constitutionis vestre, que incipit EXECRABILIS vacancia, ac illa quorum callacio per lapsum temporis secundum Lateranensis statuta concilii est ad Sedem apostolicam devoluta, personis ydoneis auctoritate vestra conferre valeant, et nichilominus de beneficiis vacantibus de iure, vel de facto modo simili provideri plenam et liberam concedere dignemini facultatem in partibus supradictis.

Item quod cuilibet Nunciorum predictorum aliquem virum potentem et fame probate illarum parcium, ad quas Nuncius ipse mittetur, cuius consilio et auxilio dirigi valeat, velitis adiungere, ut in prosecutione negociorum huiusmodi feliciter prosperetur.

Item quia dicti Nuncij circa expeditionem negociorum predictorum, Magnatum parcium predictarum, ope auxilio et favore noscuntur necessario indigere ipsis, ut magnates ipsos, eo sibi favorabiliores habere valeant, quo se ipsis possint magis reddere gratiosos, Nunciis eisdem, ut cum dictis Magnatibus in quarto consanguinitatis gradu matrimonialiter coniunctis, aut eciam coniungendis auctoritate vestra licite dispensare valeant, saltem ad certum per vos taxandum numerum, liberam concedere dignemini facultatem, prolem susceptam, aut suscipiendam ab eisdem legitimam decernendo.

Insinuat Beatitudini vestre Archiepiscopus Wpsalensis, quod cum privilegia Ecclesie sue paucioribus diebus quam expressis in glosa ordinaria Capituli, scilicet ad honorem, pallei tribuant ei usum, sibi in Ecclesie sue indulgere dignemini, ut diebus eisdem, ac festis annuis Beatorum Erici Regis et Martiris, Nicholai quoque et Katerine que devote sua Ecclesia sollempnizare consuevit uti possit in posterum palleo memorato.

Item supplicat quatenus accedentibus ad suam Wpsalensem Ecclesiam causa devocionis in Cena Domini, et quatuor festivitibus Beate Marie precipuis, nec non in festis Beatorum Martirum Laurentii et Errici (!) Patronorum ipsius Ecclesie Wpsalensis ac eciam in Anniversariis dedicacionis sue diebus, et insimul eorum Octavis unius anni, et XL. dierum, vel amplius, sicut placet indulgenciam concedere dignemini graciose. Et quia dicta Wpsalensis Ecclesia de novo construitur opere plurimum sumptuoso supplicat quod omnibus ad ipsius fabricam manum cum devocione porrigentibus adiutricem consimilem indulgenciam quociens hoc fecerint concedatis.

Item cum terra Svvetie sit diffusa et rarius habitata adeo quod iterantes per dietam sepius non inveniunt Ecclesiam in qua possint dicere, vel audire divina, supplicant Archiepiscopus et Suffraganei sui, ut eis in eorum Ecclesiis indulgere dignemini, quatenus singuli Canonici in Sacerdicio constituti Altare possint habere viaticum, et in eo ubicumque per terram eandem transierunt, locis videlicet congruis celebrare, et coram se facere celebrari.

Item significat Sanctitati Vestre Archiepiscopus Vpsalensis, et eius suffraganei in Regno Swetie, quod propter tenuitatem suorum reddituum oportet eos sustentacioni [o: -nem] pro maiori parte recipere a visitacionibus subditorum, unde contingit de antiqua consuetudine immo abusu potius quod quamvis ipsi cum ad visitaciones ipsas descendunt evectionum numero Lateranensis Concilij sint contenti, unde [o: tamen?] milites et armigeri hovaes nuncupati ad eos in magna multitudine confluunt, quos de premissa consuetudine non possunt sine gravi scandalo evitare, sicque fit, quod evectionum ipsarum excrescentibus, et multiplicatis propterea numeris, et eisdem Archiepiscopo et suffraganeis nequeuntibus ipsis militibus et armigeris de propriis facultatibus providere, adeo Ecclesie et personae ecclesiastice visitate gravantur, quod dum longi temporis victum brevis hora consumpserit, remanent in longius obligate. Cum igitur talis consuetudo inibi pro lege servata nequeat extirpari, eis indulgere dignemini, ut quamvis [o: quavis] constitucione contraria non obstante, possint eorum singuli per ydoneam vel ydoneas personas huiusmodi visitacionis officium exercere, et nichilominus annis singulis ab universis Ecclesiis, in quibus per duas noctes procuraciones ratione visitacionis eiusdem consueverunt recipere, duos florenos de florenzia, vel eorum valorem. Ab illis vero qui pro una nocte unicam ipsius procuracioni impendunt, unum florenum auri percipere valeant, et taliter visitatos ad hoc per se, vel per alium, seu alios per censuram ecclesiasticam auctoritate vestra, sublato appellacionis obstaculo coercere. Proviso quod pro eis visitantes dum visitant septem evectionibus sint contenti, et si eas excesserint excommunicationis sentenciam incurrant ipso facto, nisi tales pro ipsis visitantes de proprio eorumdem satisfacere velint, pro illis qui ad ipsos concurrerint taliter visitantes. Ex hiis siquidem Pater Sanctissime plurima bona provenient, et Episcopi, ac Ecclesiarum Cathedralium Canonici in eorum Ecclesiis, ad divini cultus augmentum frequencius residebunt, sicque fiet quod evagaciones multipliciter vitabuntur, et insolencie plurimum compescentur.

Item quia statim cum Rex vel Principes Regni Swetie quamcumque leviter offendantur retractant et revocant omnem ecclesiasticam libertatem, et partem decimarum, que olim consueverat decima pauperum appellari, super

qua parte tanquam fundamento edificium fabricæ Ecclesie Wpsalensis consurgit, et sunt in ea fundate prebende Canonorum in [o: et sustentacio?] pauperum studium Parisiis quasi [o: quas?] omnes inhihent eis dari, ob quam inhihicionem dicti Capitulum et Ecclesia omnibus libertatibus ecclesiasticis iam infra viginti unum annos per integros novem annos totaliter caruerunt. Ita eciam quod propter defectum sustentacionis cogeantur ipsi Canonici ecclesiam Cathedralem quasi desolatam relinquere, et apud alias rurales et parrochiales Ecclesias residere. Supplicat devotissime Sanctitati vestre Archiepiscopus predictus, quod privilegia felicis recordacionis Regis magni et filii sui Birgheri quondam Regis Svetie super iuribus, libertatibus, et decimis supradictis Wpsalensi Ecclesie et personis ecclesiasticis Regni eiusdem indulta et concessa, quorum quidem originalia cum sigillis eorundem in curia vestre Sanctitatis existunt, ad presens dignemini ex certa sciencia, et insertis de verbo ad verbum vestris litteris apostolicis tenoribus eorundem, perpetuo confirmare, et nichilominus auctoritate apostolica declarare, omnes et singulos qui contra Ecclesiasticam libertatem tam in dictis privilegiis expressam, quam aliis quibuscumque fecerunt, vel facient in futurum, seu qui in hoc prestiterunt vel prestabunt in posterum consilium, auxilium, vel favorem, nisi moniti infra tempus per Sanctitatem vestram moderandum ab huiusmodi totaliter destiterint, et passis iniuriam satisfecerint cum effectu, excommunicacionis sentenciam incurrisse vel incurrere in posterum ipso facto quocienscumque contra predictam venerint libertatem. Ex uberioris dono gracie eidem Svveciane Ecclesie concedentes, quod huiusmodi non possint nisi a Sede apostolica, ab excommunicacione predicta absolucionis beneficium optinere. Proviso quod Conservatores privilegiorum Ecclesie Svveciane quociens requisiti fuerint a taliter oppressis transgressores, injuriatores, ac violatores huiusmodi libertatis Ecclesiastice canonica monicione premissa excommunicatos pupplice denuncient, et faciant usque ad satisfactionem condignam tanquam excommunicatos ab omnibus evitari. Quod si secus presumpserint excommunicacionis sentenciam incurrisse se noverint ipso facto, a qua similiter preter quam in mortis articulo non possint absolvi, absque mandato Sedis apostolice speciali. Alias autem libertas ecclesiastica in illis partibus plane succumbet, et penitus confundetur.

Item supplicat Archiepiscopus Wpsalensis predictus quatenus privilegium felicis recondacionis Alexandri III Predecessoris vestri concessum pie Archiepiscopo Wpsalensi et eius suffraganeis, cuius transcriptum sub manu publica in curia vestre Sanctitatis existit, de verbo ad verbum ipsis et eorum Ecclesiis inserto tenore dignemini ex certa sciencia innovare, vel eciam aliud consimile in effectu de novo concedere. Adicientes de gracia speciali, quod

in casibus quibus virtute privilegii eiusdem dicti Archiepiscopus et Suffraganei absolvere possint eciam Archiepiscopus ipse, vel eius Locumtenens in spiritualibus super irregularitatibus sic contractis propter nimiam locorum distanciam, auctoritate Sacrosancte Sedis vestre misericorditer dispensare, quociens fuerit oportunum.

Item cum Fratres Ordinis Predicatorum in terris illis sint perutiles Ecclesie Sancte Dei, et cum de loco ad locum se transferunt non inveniunt propter vastitatem silvarum, aquarum impedimenta, caristiam et guerras, sepe inibi contingentes, cibaria eis congrua iuxta dicti ordinis instituta, quin imo in multis locis pauperrimis, eis frequencius panis ordaceus pro cibo, eciam sine cervisia propinatur. Supplicat quatenus negocio fidei succrescendo indulgere dignemini, ut dicti fratres, ne propter penuriam ibi deficiant, cum sic se transferunt, omnibus cibariis illius temporis qualitati congruentibus libere vesci possint, prout videtur Sacrum Evangelium predicantibus indulgere.

Item dignemini concedere, quod dicti fratres cum Archiepiscopo, et suis Suffraganeis, nec non aliis personis ecclesiasticis in dignitatibus constitutis, videlicet Archidyaconis, Prepositis, et Decanis qui dumtaxat sunt decem in toto Regno cibariis communibus uti possint congruentibus temporis qualitati.

Item cum idioma illorum trium Regnorum Dacie scilicet Swecie, et Norwegie adeo sit ab omni alio ydeomate extraneum et distinctum, quod nec ab Alamannis possit intelligi eciam in communibus, nec venientes de illis partibus ad curiam possunt quoquo modo, nisi per interpretes, ut plurimum minus providos confiteri, qui eciam ut sepius vix inveniuntur, et ideo pluries coguntur vel defectuose nimis confiteri, vel eciam sine confessione redire de fonte misericordie, tamquam de venia desperati. Supplicat predictus Archiepiscopus et Suffraganei sui humiliter et devote quatenus animarum saluti paterne consulendo, regnis predictis providere dignemini, de penitenciaro illius lingue, sicut habere consueverant ab antiquo, et illi sicut aliis Vestre Sanctitatis penitenciaris stipendia ministrare.

Item supplicat quod hee petitiones transeant absque alia lectione.